

J. J. de Vasconcelos - 1840

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely Portuguese, covering the majority of the page. The text is mostly obscured by fading and bleed-through.]

Faint, illegible handwriting at the top of the page, possibly a title or header.

Dissertatio Academica.



Homo varius: species unica?

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo
terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum
vite, et factus est homo in animam viventem.

Hominem creationis ultimum esse finem, docet, præter sa-
cræ paginam, scientia naturalis. Omnia igitur, vel immediate, vel me-
diate, in utilitatem tendunt hominis. Et ad victum cultumque neces-
saria, tria subministrant naturæ regna; uno tamen non posuit loco sapi-
entissimus Creator ea ipsa, quibus opus est homini, sed per totum globum
terraeque dispersit: horum necessitate adactum se sentit homo, ad ea
exquirenda, ubicunque locorum inveniri possint. Homo in Globo hoc
collocatus, beneficio sensuum, Potentissimi Creatoris sui percipit ope-
ra, atque cuncta, ad suam sustentationem suosque usus pertinentia,
hic instructa esse invenit. Nostrum si attendamus corpus, in eo unum
quodque membrum sua gaudere necessitate reperimus, nostramque con-
stituire perfectionem. Videmus etiam omnia vegetabilia, et animalia
esse constructa ad perfectionem Æconomia Divinæ, seu, institutionis orbis
nostræ consensionem testificandam, et unumquodque alterius causa esse
creatum, atque ratione longitudinis, latitudinis, et profunditatis, hominum
que ultimum operis creationis esse finem, omniaque ejus causa esse con-
dita cum quotquot in Orbe nostro terraque existant, homini utilitati esse que-
ant, ceteris non item. Nostrum igitur est inquirere, quid homini præ-
ceteris adsit animantibus. Anatomia docet nos, hominem gaudere
corde, cerebro, visceribus, nervis, ossibus, muscibus, sese movere, tangere, gus-
tare, odorari, audire, et videre, haud aliter ac bruta animalia. Re-
rum enimvero, duas in homine invenies proprietates, quibus reliqua
destituta sunt animalia: ratiocinationem nimirum, et loquelam.
Eadem quidem per sensus externos cognoscunt, quæ nos, animalia, at,
destituta distincta perceptione, reflexionem de objectis quibuslibet ad-
hibere nequeunt, seu illam curam, uti homo admiratione totus quantus
captus, omnia considerandi. Ex. gr. observetur Sacca horologium
artificiosissimum; ad illud plus non attendit, quam si superficiem
intuseretur nucis Myristicæ. Puerulus autem, tres vel quatuor agens
annos, etiamsi in percipiendis adhuc valde sit debilis, simul atque
ejusmodi machinam animadvertit, tanta continuo occupatur
admiratione, ut vix manus suas ab ea dimovere queat.

Neque erit ullus, mature aetatis ac iudicii, dum automaton artificiose institu-
tum videt, quin id admiretur, quamvis admiratione majori ipsius invento-
rem, artificem, atque auctorem prosequatur. Hinc cum homini profundius
concessum sit iudicium, maximisque polleat ratiocinationis viribus, quaritur
haud immerito, qua de causa homo, ut ultimus creationis finis, teste Scriptura
Sacra, et Systemate Naturali, ejusmodi donis reflexionis cumulatus, orbem
hunc inhabitandum accepit, ubi tot ei obvia veniant mirabilia ad ejus con-
ducentia perfectionem, et talia, ut sine illis esse nequeat? Nonne, ut totidem
artificia admiraretur excellentissima, atque ex iis Summi Creatoris sui
summam hauriret potentiam ac sapientiam videndo, unum eundemque
suum omniumque fuisse conditorem? Eidem unice quoque contigit id
doni, ut loquela admirationem suam cum aliis sui generis commu-
nicare posset, atque Creatorem, in opere creationis ultimus, cognosceret ejus-
que aeternas laudes atque gloriam pleniori ore, ubique locorum patefaceret?
Sed propositum meum non est discrimen, quod inter hominem, et bruta inest,
indicare, sed si genus humanum unice tantummodo specie, vel pluribus con-
stat. Animus itaque mihi est, in presenti paucissima ex iis, qua in di-
versis Auctoribus deprehendi, breviter proponere, si ambiguitas hanc cir-
ca materiam non solum, sed etiam virium mearum defectio, optatum
attingere portum non prohibeant.

Difficilimum sane est definire, si genus humanum u-
nica tantummodo specie constet, vel si aliqua varietates qua inveniuntur, ut
totidem species considerari possint. Inter plurima animalia, maxime
domestica, ut canis, equus, cuniculus, &c. maxima discrimina in magni-
tudine, in corporis, ejusque diversarum partium forma, postremo in cu-
tis, pilisque colore, animadvertimus. Haec omnia individua tamen
eidem generi pertinent, ex eorum concubitu, individua nascuntur femi-
da, et progeneratoribus suis simillima: idem homini circiter accidit. Cli-
ma, alimentum, serotium morbi que maximam circa varietates ab illo pa-
tefactas vim agere, videntur. Easdem causas ad extraordinariam brevem
ve hominis staturam concurrere voluit unum, alii pro certo dicunt gigan-
tes, pumilionesque distinctam in specie varietatem formare, ceteri vero illos
inveniri sparsos per totam speciem credunt; nos aliqua reformus exem-
pla ex illisque elationem nostram deducimus. Statura hominis ordina-
ria, ut ait C. Buffonius, quinque pedes, et duas uncias attingere de-
bet, mulieris vero paulo minor, ideoque ad incrementi sui terminum
citius accedit. Nondum statutum est modi gradum, ut hominem
gigantem vocare possumus, tamen millesimo septingentesimo trigessimo
anno Parisiis, Finlandensis in opido prope Tornenum natus, in conspe-
ctum editus est ad sex pedes, octo uncias, octoque lineas ultra, nomen hoc
meruit: itidemque gigantis Macgrathi aetudo, qui anno millesimo se-
ptingentesimo sexagesimo in Civitate Londini apparuit ad septem

pedes aliquasque uncias; gigantis Caiari Philandensis statura ad octo pedes octoque lineas; Githi gigantis Trenti oppidi, in Tyroli ad octo pedes, uncias duas, et octo lineas; Regis Prussiae custodis ad octo pedes uncias sex, lineasque octo: Goliath, teste Scriptura Sacra altus erat ad sex cubitus, et palmum unum, si ponimus cubitum decem et octo uncias habere, Goliathis statura novem pedibus unciisque quatuor constabat. Quod attinet ad ossa in diversis tumulis reperta, et ab aliquibus ut ex hominibus assumpta, his ultimis temporibus aliorum animalium esse demonstratum est, Id ipsum, quod circa gigantes dicimus, de pumilionibus referri potest, quia sparsi in specie etiam apparent. M. Hallerius vidisse unum, cuius statura tres pedes habebat, refert. Bristol; Londini; Parisiis, aliisque orbis locis, diversis temporibus, nati sunt homines coactae brevitatis; sed quid est quod exempla ex terra quarum? si illa domi haberemus. In oppido Barca dicto, septimo milliario paulo minusve a foro Lemnicorum, patria mea, sito; parvula pumilio erat, clarissimis pumilibus orta, cuiusque sorores duae commode staturae erant, quarum una Senatoris Josephi Antonii de Turia Carvalho uxori; Familiae cognita, mihique maxima familiaritate conjuncta: haec pumilio trium pedum staturam habens tanta perfectione in unisquibusque membris, tantique iudicio erat praedita, ut sorores impessuerunt illi curam domesticam; mortua est anno millesimo octingentesimo vigesimo sexto, quinquadraginta et unum annos nata. Ex quo duximus non omnino sequitur colonos regionum polo proximarum non habere brevioram staturam, quam qui in torrida, vel temperatis habitant, sed, ut discriminia hac visdem causis, quae varietates in specie faciunt, debentur. Primum de his dicemus.

Clima praecipua causa esse videtur, quae nostris temporibus unius regionis homines proceros, alterius, parvos producit. Frigus namque incremento organicorum corporum obstat, calor vero utrumque auget, et promovet. Notissimam et in utroque regno undique confirmatam rem vel tangere modo, pigeret, nisi et nostris temporibus viri exstiterent, quibus summa fiducia aliter sentire sibi viset. Experiencia docet et plantas, et animalia in borealibus terris minora esse, quam in australibus; quidni in humano genere eadem lex locum haberet? Plantas alpinas in duplo maiorem extra alpes communiter ex crescere altitudinem Linneus jam in Flora Lapponica monuit. Idemque sapissime in plantis observare licet, quarum alia exempla in tepidae regio servantur, alia in horto praestant, quarum illa his longe proceriores maioresque evadunt. E contra in regionum borealium, aut altissimorum montium cacuminum plantas in genere pumilas, et humiles saltem esse, exemplo alpino Helveticarum docuerunt Schreberus, summus Hallerius, alique: idemque super in glaciatis Sabaudia montibus observavit celsus De Luc. Animalium eadem

est ratio. Vulpes Greenlandici minores illis, quos Zona temperata ferunt. Equi Suecici, Scotici, & humiles, parvi, imo in frigidissima Northwales adeo pusilli, ut vix canes magnitudine excedant. Sed sunt praeter aera aliae adhuc causae, quae in staturam potentias suas exercent. Jam ab initio, vitæ genus huc retulimus, et facile esset in presenti quoque copiosa ex plantarum animaliumque regno proferre exempla, ubi nutrimenti varietatem in procera, humiliorive statura agnoscere possumus. Ast nimis vel vulgo nota sunt haec, totiesque in vaccis Helveticis, equis Frisicis &c. experienta, ut tota hac demonstratione facile supercedere liceat. Duæ eadem causæ, scilicet, clima, et vitæ genus, in colorem maxime influunt. Primo a candidissima Germanica virginis cute per flavas, rubras, et fuscas gentes ad intensissima nigredinis Æthiopem insensibilis fere et nullo modo definiendus transitus est, quem eodem, ut de statura diximus, modo, in paucorum latitudinis graduum tractu observare licet. Hispania tria exempla præbet: notum est Biscayas feminas nitide candidas, Granadenses e contrario fuscas esse. Qui ad Senegam circa flumen ad Boream habitant, cinerei coloris sunt, et parvi corporis: qui vero ultra, nigri, procera statura, ac robusta sunt. Siquidem ea parte regio tota virescit, altera squalet. Idemque a doctissimis Gallis ad continentia jurga observatum est: eos enim, qui immediate sub monte versus occidentem, marique pacifico obversi vivunt, candidos fere Europæorum more videntur; cum e contrario alterius lateris accola continuis, et flagrantibus ventis expositi ut reliqui Americani cupreï coloris sint &c. adeo ut facile exinde nodus solvatur quare in sola Africa nigerrimi fiant homines, in America sub iisdem latitudinis gradibus non item: quod argumentum studiose, ut sibi mos est, eleganter exposuit Claris. Zimmermann. Vetus jam est Vitruvii, Plinique observatio boreales gentes candidas esse, quam et reliquorum animalium imo et plantarum luculentia exempla egregie probant. Multiplicis enim, ast longe diversissimi, probe distinguendi sed subinde perperam confusi generis est ea albedo, in quam animalium plantarumque nativus color subinde transmutatur. Altera nempe morbosa, cachectica, in animalibus cum oculorum singulari vitio conjuncta: altera vero toto colore ab illa separanda, et sola huc pertinens, unice ex frigore orta. Non una vero ratio est quæ corpora organica frigore abescunt: partem enim cum plantarum flores, tum animalia regionum borealium albida sunt, quæ in australibus alios colores ferunt; partem autem nutrimentorum quoque Zonarum animalia hyeme tantum candida fiunt, verique iterum nativo suo colore induuntur. Illorum exempla præbent vulpes, canes, lepores, jumenta, falcones, corvi, &c. Ex his nota sunt herminei sciuri, lepores, tetras lagopus, canis corsac. &c.

Sic observari meretur notissima differentia quæ unius, ejusdemque regionis incolis intercedit, quorum cutis respectu varii vitæ

generis maxime quoque colore variat. Operarii aut bajuli solis tempesta-
 tique injuriis exposita facies, tantum a delicatula feminae genis abhorret, quan-
 tum ipse a fusco Americano, hinc ab Aethiope differt. Non rara a-
 deo occurrunt anatomicis cadavera infirma sortis hominum, quorum re-
 ticulum propius fore ad Aethiopum nigredinem, quam ad elegantis
 Europaei candorem accedit. Tulum Europaeum Aethiops nigriorem
 secuit Ludwieg; sub fuscum autem reticulum a Gurnao, plurimis-
 que aliis saepissime observatum est. Omnis etiam rubri nascimus, et tem-
 poris dumum progressu tenellorum Aethiopum cutis in nigrum, nostra
 in album colorem vergit, Americano autem natus ille manet ruber,
 nisi celi mutatione, et vitae generis accessu sensim illi colores mutantur, et qua-
 si degenerent. Albos inferioris ordinis homines vitae genere duriore fus-
 cos videre vidimus: aequae autem certum est australium regionum homi-
 nes, si tempestatibus solisque injuriis minus exponantur albidiores fieri.
 De Guesaratesibus, Malabaribus, Castris, Canadensibus, Pensilvaniis,
 Vitabatis, &c. copiose retulerunt itinerum auctores. Imo non opus
 est ab externis gentibus exempla quaerere, cum in nostris hominibus
 praesertim feminis eandem coloris mutationem quotannis observare po-
 simus. Verno enim tempore ad unam fere omnes candidiorem pra-
 se ferunt cutis colorem, hyemali domestica vita contractum: qui in
 eis autem quae ejusmodi cultus minus studiosa aeri solique se temere expo-
 nunt, ante propinqui autumnus adventum vernalem illam gratiam per-
 det, et sensim obfuscat. Sed praeter vitae genus senium quoque et celi
 mutatio in Aethiopibus colorem dealbare valet. Quod si enim versus
 septuagesimum aetatis annum vergunt Aethiopes, reticulum sensim
 nigredinem suam amittit ita ut silicis domum fulva evadant, can-
 nesque, barbaeque canitiae solita induantur: et si Aethiopum tenelli
 infantes frigidioribus inferantur climatibus, multum certe de nativa
 eorum nigredine sensim abit, colorque eorum magis, magisque in
 fuscum vergere incipit. Viceversa autem, imo longe facilius ut per se
 patet albi si diu torridis Zonis immorati fuerint, fusci redduntur
 sensimque nigredine obducuntur. Hispani sub aequatore in novo
 orbe degentes, adeo in nativum hujus terra colorem degenerarunt,
 ut maxime probabile visum fuerit viris clarissimis eos, nisi nuptiis
 cum Europaeis institutis patrum servare habitum studerent, sed
 potius illarum America gentium vitae genus sequerentur, brevi
 tempore in eundem plane colorem incidere, quem in America
 Australis nativis miramur. Anglus per triennium saltem cum
 Virginis variatus, huius colore dein similis reddebatur, et Smithius popula-
 ris ejus, lingua solum qua loquebatur sum agnoscere poterat. Lusitano-
 rum colonia saeculo 15. in Africam delata vis adhuc ab indigenis di-
 gnoscitur. Galli sive Africam, sive Americam deveniant, constanter
 fusco illarum terrarum colore tinguntur. Plurima huc non

refere exempla Europaeorum, qui in ipsa sua patria praeter naturam nigri facti sunt, aut nigros pepererunt infantes, nec Aethiopum repente aut in quibusdam saltem corporis partibus candidi redditorum, &c. cum in his omnibus vitiosi quid et morbidi subesse videatur.

Cum climate, tum vitæ genere mutare corporis colores vidimus. Luculentissime tamen illud in connubiis diversa tinctura hominum accidit, ubi et remotissimi, et plane contrarii colores adeo degenerant, ut albi sensim in Aethiopes, et viceversa transire et mutari quasi possint. Peculiaribus nominibus distincti sunt ejusmodi partus; in quibus autem plurimum variant itinerum auctores. In adnepotes ergo nigredinis vestigia propagantur, non tamen ita ut firmiter gradus servet, quin subinde ejusdem partus gemelli diversos ab invicem pro se ferant colores; quales Claris. Fermis ex Aethiopia natos dicit, ex quibus masculus mutatus, femella autem ut ipsa mater, intense nigra erat. Certe et ex hujusmodi casibus illud evidentiter probatur, quod hucusque dictis demonstrare conati sumus, colorem, quamcumque etiam causam habeat, sit bilis, sitve solis aërisque et climatis potentia, adventitium saltem et facile mutabilem esse, neque unquam eum speciei diversitatem constituere posse. Tamen non est tantummodo ab eis, quae recensuimus supra, characteres varietatum formari, sed ex diversa craniorum forma, diversa sane in variis gentibus, secundum quinque, quas constituimus generis humani varietates, et quorum descriptionem praetermittimus, ut procrastinatione molesti non videamur; Physiognomia capillorum diversitate, dentium, pedum, et mammarum forma, pronuntiatio nis singularitate, deformationibus artificialibus, morbis tandem; morbus enim est humani corporis, plerumque congenitus, in totum illi similis, quem varia animalia quandoque corripere, videmus, in eo autem diversus, quod symptomatibus ludeat, modoque gravius modo lenius hominem invadat: in aliis terris rarior, in aliis frequentior, et indemiis sit: hinc per familias propagetur, illinc vage saltem et sparsim aliquem occupet. Cutem oculosque simul afficit; ideoque cum ad impetiginem, tum ad luscitionem referri posse videtur: utrique enim pariter cognatus est.

Et haec fere sunt, quae super genere humano, ejusque varietatibus aut climate, aut vitæ genere, aut diversis connubiis, aut morbis, aut demum arte effectis, enarranda habuimus. Facile quisque videt argumentum nostrum circa totarum gentium varietates versari, neque eas ad rem nostram pertinere, quae uni alterive individuo fortuito acciderunt.

Ardua quidem, sed cum ad vindicandam Sacri Codicis fidem, tum ob lucem quam universa generis humani imo, et

reliqua naturali historice imperit, utilissima, et dignissima disques-
 sitio. Matitia quidem, negligentiaque, et novitatis studium, duxerunt
 vel plurimarum specierum opinioni faverant. Haec inde a Subri-
 ni Imperatoris temporibus eis egregie ardebat, quorum Sacri
 Codicis fidem suspectam reddere intererat. Facilius
 igitur erat Aethiopes, aut America imberbes incolas
 primo statim intuitu pro diversis speciebus habere,
 quam in corporis humani structuram inquirere, ana-
 tomicos, et itinerum numerosos auctores consulere, horum-
 que fidem, aut levitatem studiose perpendere, e naturali
 historice universo ambitu parallela conferre exempla,
 tumque denuo iudicium ferre varietatisque causas
 scrutari. Ita Theophrastus Paracelsus primus fuit,
 qui capere non potuit, quomodo Americani ut reliqui homi-
 nes ab Adamo genus ducere possent, ideoque ut brevi se-
 expediret negotio duos Adamos a Deo creatos statuit, A-
 siaticum alterum, alterum Americanum. Ea demique est
 humani ingenii curiositas, et ad nova quavis propensio, ut
 multi facile novam etsi non satis deliberatam opinionem
 recipere, quam vetustis, et per annorum nullius vulgo etiam
 receptis veritatibus denuo subscribere, malint. Ego vero
 prout ipse Paracelsus ex sola nuda natura contemplatione
 aliquorumque librorum lectione contraxit, id est veteri de u-
 nica saltem generis humani specie sententia accedere nul-
 lus dubitavi. Quamquam enim tanta inter remotiores
 gentes interesse videatur differentia, ut facile capitis bonae
 speciei accelas, Greenlandos, et Circassios pro tot diversa
 speciei hominibus habere possimus, se tamen rite pensa-
 ta, ita omnes inter se confluere quasi et sensim usam in
 alteram transire hominum varietatem videbimus, ut vix
 ac ne vix quidem limites inter eas constituere possimus.
 Homini enim nullum privilegium concessum est quidem ut
 alia corpora organica climatis aliarumque, quas supra recen-
 suimus, causarum virus experiri debeat, imo cum nullum
 aliud animal praeter eum adeo diversissima uno omnino to-
 tius globi terraquei loca habitet, varii gentium colores, et ha-
 bitus certe multo minus quam gallinarum, columbarum,
 tot florum, &c. varietates, et degeneraciones mirandae sunt.
 Cum ergo plane inobservabilis unius hominum varietatis
 in alteram transitus sit, per se jam patet nullos plane fi-
 jos, et determinatos limites inter ipsos locum habere.
 Fieri quoque aliter non potuit quin pleraque generis hu-
 mani in certas varietates divisiones, a clarissimis viris sub-

inde tentata, non nisi maxime arbitrarie, et vage evadere debuerint. Scriptor quidam in dissertatione scripta anno millesimo septentesimo octogesimo et quarto, omnes homines ad quatuor stemmata reducit, quorum primum universam Europam, sola Lapponia excepta, Asiam australem, Africam borealem, et universam Americam; alterum reliquam Africam; tertium reliquam Asiam cum insulis versus vulturnum positis; quartum denique solos Lappones complectitur. Linnæus vulgatam secutus geographiam humanum genus in Europæos, Asiaticos, Africanos, et Americanos dispescit. Goldsmith fabulis romanensibus celebris poeta sex hominum varietates enarrat, primam Polarem; secundam Tartaricam; tertiam Asia australis; quartam Africæ Ethiopum; quintam Americanam; septimam vero Europæam. Celsus hæc ab aboriginibus subfuscis quatuor varietates derivat: primam candidam Europe borealis; alteram ævi coloris, Americanam; tertiam nigram, Senegambicam; quartam olivaceam, Indicam. Clarissimus Hunter, septem varietates recenset itidem a colore desumptas: primam nigrorum hominum; alteram subnigrorum; tertiam cupreorum; quartam rubrorum; quintam fuscorum; sextam subfuscorum; septimam alborum. Insignis Blumenbachius quinque varietates constituit: prima eaque maxima, cum et primigenia sit, complectitur; universam Europam, Lapponibus inclusis, quos nunquam a reliquis Europæis separare velle, ait, cum et facies, et lingua eorum Finnicam originem, luculenter testetur: deinde eam Asiae partem occidentalem, quæ citra Obis, mare Caspium, Taurum montem, et Gangem nobis obversa est: demum Africam borealem: et ex America denique Groenlandos, et Esquimos, qui certe a reliqua America incolis, non solum, diversi, sed etiam a Finnis derivandi videntur. Hæc omnes gentes in universum spectata, candidi coloris, et pulcherrimæ (si cum reliquis comparantur) formæ sunt. Altera varietas est Asiae reliqua, nempe Transgangelana, trans mare Caspium, et Obis fluvium, ad Novam Zemblam usque posita. Hujus incolæ colore subfusco plus minus ad olivaceum vergente, facie plana, palpebris angustis, et tenui capillo distinguuntur. Tota hæc varietas iterum ab illo in binæ stemmata dividitur; boreale alterum, alterum australe; quorum hoc quod Chinam, Coream, regna Sunkin, Pegu, Siam, Ava, &c. complectitur, cum linguis magis monosyllabis, tum ingenii et morum nequitia, et perfidia, ab illo distinguitur quod Asia borealis gentes Estivas, et cæteros Siberios, Tungusas, Manschuras, Tartaros, Calmuccos, et

Japanenses, comprehendit. Tertia est Africa quicquid præter partem
 borealem jam memoratam, superest. Nigri homines, terosi, ma-
 xillis superioribus prominulis, labiis tumidis, naso simo, caput
 lo crispo nigerrimo. Quarta Americam reliquam complecti-
 tur: cuius incolæ colore cupreo, habitu gracili, et pile tenui dis-
 tinguuntur. Quintam demum constituit novus Orbis aus-
 tralis, cui quoque insulae Sunduica, Moluccæ, Philippinae,
 &c. ut illi videtur, commode accenseri possent, hominibus in
 universum coloris intense fusci, naso lato, et denso capillo.
 Illos, qui archipelagum pacificum inhabitant (aut auctor idem)
 Clarissimum Forsterium iterum in binas dividisse Tribus. Al-
 tera, quam Tahitenses, Novæzelandi, et incolæ insularum a-
 micarum, Societatis, Paschatæ, Marquesas, &c. constitunt,
 homines elegantioris figura, et placidi magis ingenii complecti-
 tur: nam reliqui qui nempe novam Caledoniam, Tannam,
 Novas Hebrides, &c. incolunt, magis nigri, crispi, et quod ad
 ingenium, magis diffidentes, et feroces sint. Recentiores Scri-
 ptoræ, ut Bumerilius, et alii, quorum opiniones lubens am-
 plector, genus humanum in quinque stemmata etiam divi-
 dunt, sed diverso ordine; principales differentia characteres
 a cutis colore, vultus forma, et locis, quibus inhabitant ma-
 xime pendent. Horum stemmatum primam est Cauca-
 sicum aut Arabo-Europeannum; alterum Hyperboreannum;
 tertium Mongolicum; quartum Nigrum; quintum demum
 Americanum. Caucasicum nomen accipit a Caucasæ aut
 montibus, quorum perpetuum dorsum a ponto Caspio ad Cas-
 pianum mare excurret. Hoc, in populatione secundum, in
 orbe spatium inter circulum polare, et canceris tropicum a
 meridiano arcu quinquaginta circiter graduum dimensionem
 occupat, itaque sequitur spatium occupatum totam pene
 Europam, exceptis regionibus Septentrioni magis adjunctis
 borealis Africa loca, Egyptum, et Barbariam, demumque
 Asia magis occidentalia, Arabiam, Persiam, Tartariam,
 et Syriam comprehendere. Caucasica varietatis homi-
 nes faciem oblongam, nasum longum et prominentem,
 capillos promissos et rectos, quorum color varius a flavo ad
 nigrum; cutem albam, malas purpureas aut rosaceas, la-
 bia rubra, habent. Hujus varietatis pulchriores, Euro-
 pam, et Asiam habitant, et inter Turcos, Circasianos,
 Georgianos, interque incolas montium caucasii radium
 inveniuntur. Intermediarii, regionem borealem, et me-
 ridianam habitant Europa; Danemarkenses, Suecii, et
 Hungari; albissimam cutem, staturam proceram, caput

los longos, et flavos, interdumque coruleam. Russiani, Germani, Angli, et Galli, cutem subalbidam, staturam medianam, capillos, et interdum fuscos. Lusitani, Hispani, Italiani, alique meridiei colones, cutem fuscioram, staturam medianam, capillos nigros, fuscos, castaneosve habent. Hujus varietatis deformiores ut nobis videtur borealis Africa regiones inhabitant; ii Arabi, Mauri, Abyssinii, et rubri maris litorum incolae, quorum cutis fuscissima, nasus simus, frons latissima, capilli nigri crispi brevesque sunt. Hyperboreana varietas in boreali duorum continentum terra, et prope circulum polare omnino invenitur, formata a Caucasiorum, et Mongolium permutatione videtur. Terra vulgo de Labrador, et sinus d' Hudson litorum incolae, aut Eskimaoi, in America; Thibetanos, Ostiaquos, et Kamtschadales, in Asia; Laponios, et Samoideos, in Europa, quos attinet, omnes huic varietati pertinent; eorum facies plana, brevis, et globosa, nasus simus, capilli nigri, breves et recti, cutis fusca est. Varietatis Mongolica populatio cognita adhuc non est; spatium in orbe ab arcu quinque et septuaginta graduum dimensum, occupat. Mongolii, Mautechouy, et Kalmouckes, in Tartaria; Siamenses, Japonenses, et Malaienses, in China; Novae Hollandiae incolae denique, et australis maris insulares omnes, ut Moluqui, et Philippenses in illa comprehenduntur: facie plana et globosa, naso simo et breve, capillis nigris, malis prominentibus, calvaria turbinata, cute fusca, tutea vel crocea gaudent. Homines Nigri, aut Ethiopiani bonam torridam naturam in spatio a triginta usque ad quinque et triginta gradus comprehenso, habitant, australis Africa a Senegali usque ad rubrum mare universis litoribus inveniuntur: frontem planam, faciem obliquam, maxillis superioribus prominentibus, nasum simum, labia tumida, crassa, tanquam rostrum, malis prominentes, capillum nigerrimum, brevem, et crispum velut lanam, cutemque nigram habent. Cafrorum et Hotentotum facies longior triquetraque, cutis olivae coloris: Guineae coloris nigriores, Congi torosi sunt. Americani, borealibus hujus continentis populis exceptis, latam faciem, et triquetram, capillos nigros, levigatos, longos, et densos habent, pene imberbes, et eorum cutis sub nigra vel cuprea coloris est. Hi characteres, Mexico, Peru, et Brasili maxime notantur. Varietas tamen haec et Arabe Europaea in dies altera pro altera accipitur.

Ad res ordinandas, ut supra monuimus, jam sigillatim ea pertractamus momenta in quibus homo ab ho-

mine, naturali sua corporis conformatione, et figura differre videtur, causasque quantum in nobis est scrutamur, qua eam varietatem producere valent. Jam de totius corporis statura acti sumus, ad colorem nunc, et ad alias differentias redeamus, post hac tandem causas, quibus illa debentur, recensebimus.

Tanta videtur inter Aethiopem, album, rubrumque Americanum intercedere diversitas, ut mirandum fere non sit, si et magni nominis viri eos pro diversis humani generis speciebus habuerint. Quamquam vero argumentum hoc proxime ad tractationem nostram pertinere videatur, tot tamen tantoque circa sedem et causas hujus diversitatis jam dicta sunt a viris clarissimis, ut vel computationi eorum vis justum volumen sufficeret, ita ut breves nos in ea re esse, et ea saltem qua summorum virorum industria, plane indubitata reddidit, repetere oporteat. Cutis hominum plerorumque animalium tribus constat partibus: externa epidermide seu cuticula, media reticulo mucoso, ab inventore Malpighiano dicto; et interiore demum, quam vocant corium. Media ex his, qua externa affinis satis est, adeo ut a multis pro altera saltem ejus lamella habeatur, in Aethiopicis spongiosa magis, crassior nigraque plane existit, et cum in his tum in reliquis hominibus diversi coloris primariam sedem constituit. Corium enim omnibus pariter candidum est, nisi quod hinc inde ab adherente reticulo leniter tingatur; epidermis autem in eundem, qui reticulo est, colorem vergere videtur, ita tamen, ut cum cornea lamina instar pellucida sit, ea et in nigris hominibus, si probe separata fuerit, nigrescere apparet, ideoque parum in eo quidquam ad coloris hominum diversitatem conferre possit.

Sedes coloris satis certa est; de causis autem ejusdem, in Aethiopicis praesertim, a longo retro tempore plurimum, et diversimode disputatum est. Quidam Caini alii Chami maledicti, eorumque posterorum signum esse nigredinem putarunt. Celsus Kant eandem ferri in sanguine Aethiopum abundantiam, transpirationi acidi phosphorei in reticulo mucoso precipitata: Charissimus Sabatier vero globosa sanguinis parti ad cutem appetentis, tribuit: alii alias protulerunt hypotheses, inter quas tamen bilis praeceteris imminuit, quam post Santorinum praesertim ornare studuit Petr. Barreze.

Quamquam ea plures nacta sit adversarios, non tamen pro-
sus negligenda ~~videbitur~~. Ictericorum, Chloroticorum,
multis piscis exempla, nigra tandem Aethiopum bilis eo minus
in dubium vocanda, cum sanguinem nigrescentem, cere-
brum, medullam spinalem, & cinericea viderint nuperi,
phlegma gentium Septentrionalium, aliisque id generis,
pondus huic opinioni addere videntur. Principem ta-
men inter omnes nigredinis causas locum tenebit clima,
solis aërisque potentia, cum vitæ genere: Vetus est
Aristotelis, Alexandri, Strabonis aliorumque senten-
tia, quam exemplis argumentisque ~~supra~~ protatis
firmare contedimus.

Joannes Joseph de Vasconcellos, Cypriani Ludovici de
Vasconcellos, filii Joannis Emicorupii Poppiade natus, Corin-
thiae fuit, anno 1840, tertio Idibus Junii

Emmanuel Martins Bandeira. Praeses.

MEMORANDUM

[Faint, illegible handwriting]

Faint, illegible handwriting in a cursive script, possibly a historical document or letter. The text is written in a dark ink on aged, yellowish paper.

Handwritten text in a cursive script, appearing to be a signature or a specific section of a document. The ink is dark and the paper shows signs of age and wear.

Handwritten text in a cursive script, likely a signature or a specific section of a document. The ink is dark and the paper shows signs of age and wear.